

mentiam non mediocriter nos in eo promereri speramus, si utilitatibus servorum dei nostris amminiculis, prout res et tempus exigit, consulere non negligimus, illorum maxime, quos et religiosa professio commendat et sedulę devotionis studio erga nos hoc meruerunt, ut eorum petitionibus contraire non debeamus. Quapropter notum facimus tam presentibus quam futuris omnibus Christi fidelibus, quod venerabilis confrater et dilectus noster Wolframmus abbas de sancto Michahela in Babenberc, cum varias in decimis suis sustineret iniurias et assiduam ab invasoribus violentiam pateretur, frequenter ad nos querimoniam detulit in publico iudicio causam proponens et iusticiam suam tam testibus quam privilegiis coram omnibus manifeste confirmans. Quia vero propter nimiam elationem et contumacem adversariorum eius contradictionem alia nobis via non patebat, ut causam hanc terminare possemus, post multas allegationes et sepe datas inducias tandem unanimi consensu et consilio canonicorum et ministerialium nostrorum in hoc convenimus, ut decime novalium, quę sub antecessoribus nostris culta erant, in eo statu et tenore permanerent, sicut ad nostra tempora devenerant, decimę vero illorum novalium, que nostris temporibus et deinceps ipse abbas et sui fratres per omnem dyocesim nostram excoluerint vel aliis excolenda contradiderint, ad usus ipsorum stabili in perpetuum iure pertinerent, nec ullam in his contradictionem vel violentiam ab aliquo sustinerent. Itaque quoniam hec tradicio et huius forma compositionis in synodo nostra publice facta et confirmata est, ne quis eam in posterum per iniustam et temerariam violentiam infringere presumat, cartulam hanc conscribi et sigillo nostro fecimus insigniri. Testes horum sunt: Wernherus prepositus de Hauge, Wortwinus prepositus de novo monasterio, Dietricus prepositus de Onoldespach, Heinricus scolasticus, Godefridus cantor, Heinricus de Nuenburc, Eberhardus de Marmore, Gerlacus, Gozwinus de Trinperc, Reginoldus de Osternahe. Laici: Heinricus de Ravensperc, Heroldus de foro, Heinricus de Osterburc et frater eius Godefridus, Ruggerus et Emehardus de Buterieth, Nidungus, Helnuicus albus et filius eius Heinricus et alii plures. Acta sunt hec anno ab incarnatione domini MCLXXXVIII, imperatore Heinrico; feliciter amen.

III.

In nomine sanctę et individue trinitatis. Gotefridus dei gratia maioris ecclesię in Wirceburc prepositus et Gotefridus decanus. Ad notitiam universorum tam presentium